



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 2. De purgatione Canonica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

V. Quamvis supremi Principis potestas ad liberationem reorum, & remissionem culpæ per se sufficiens sit, quia tamen nec malefactoribus ipsis, nec reip. expediat omnibus sine discrimine eam gratiam præstare, legibus cautum est, ne certa quædam hominum genera relaxentur. Equidem in l. *Nemo C. de Episc. audientia.* excipiuntur sacrilegi, adulteri, stupratores, incestuosi, raptores Virginum, violatores sepulcrorum, venefici, malefici, violatores monetae, homicidæ, parricidæ, læsæ majestatis rei. Denique qui idem crimen iteratò commiserunt. Ex quibus colligimus is maximè sperandam liberationem, qui cum verecundia quadam, & minori temeritate peccarunt, quales sunt incauti, & prodigi, creditoribus obnoxii, qui ita relaxandi erunt, ut ius tertio saluum maneat, coganturque satisfacere illis, quibus obligati sunt. Nam ius tertio acquisitum non tolerant Principes unquam sine gravi causa offendere. Et *Ziletrus sigillatim. tom. 11. conf. 73.* demonstrare nititur nulli Regum, aut Principum licere homicidis deliberatis pœnam capitis remittere, quod dicere facilius est, quam persuadere. Non eadem omnium conditio est, sed longè dissimillima, quamvis idem re ipsa delictum.

VI. Solet autem interinatio decerni, ut relaxatus læsæ parti intra unius anni spatium satisfaciat: & securitatis causa detinetur in vinculis tam diu, donec expedita sint omnia; nec sine cautione dimittitur etiam datis fideiussoribus toties, quoties citatus fuerit compariturum, vel per se, vel per alium. In defectu autem, si non compareat, & fidem promissi ser-

vet, puniendus erit fideiussor, sed mitiore pœna. *Chassaneus in Consuetud. Burgund. tit. Des Justices, &c.*

VII. Verùm generali remissione gaudeant, qui criminis falsi rei sunt, in utramque partem disputat *Boerius decis. 217. n. 21.* juxta textum l. *Nemo cit.* simplici oculo inspectum videntur non excludi: *Bartolus* tamen secutus legem *Lucius ff. ad S. C. Turpill.* omninò excludi putat. Ibi enim *Moderstinus* respondet abolitionem reorum, quæ publicè indulgetur, ad hoc genus criminis non pertinere. Favet *Dominici Soto apud Menoch. q. 96.* opinio, pœnæ remissionem non nisi ex causa faciendam à principe, ut puta, si quis deliquit casu, aut fortuitò, vel ex fragilitate quadam; non autem si vir scelestus & nefarius sit, aut ex professo delinquere solitus. Nam huic pœnam remittere impium foret, quia sic Princeps maleficis favere crederetur. *Dambaud. c. 147.*

#### De Purgatione Canonica.

REmedium innocentiae tuendæ, & aliis persuaderæ Purgatio existimatur. In occultis enim delictis, & falsò creditis, ut plurimum externi testes desunt, estque facilius multò proximis maculam affigere, quam de culpâ excusare, vel convincere. igitur in genere loquendo Purgatio est demonstratio innocentiae super obiecto crimine. Demonstratio, inquam, non per infallibilia media, seu argumenta, quorum apud Theologos, & Philosophos usus, sed per probabiles coniecturas.

Næque e

Neque obiectum in iudicio, aut coram Prælo crimen semper, sed imputatum aliquando suspicione, aut rumore intelligas. *Maranta parr. 6. tit. de iuram. num. 17. Vallens. l. 5. tit. 34. Clarus. q. 63. V. solet etiam Roderic. tom IV. tit. 23. c. 2.*

**I.** Purgatio alia est *Canonica*, alia *vulgaris*. Illam Canones, hanc populi mores invenerunt, sitque interdum aqua, interdum igne, & frequenter inito certamine seu duello. Et quia Deus in illa tentatur, multæque miscentur illicitæ observationes, ab Ecclesia jam pridem proscripra est, quemadmodum accuratè tradit. *Delrio l. 4. disquis. Magicar. c. 4. q. 4. Canonica purgatio vel fit per iuramentum, vel S. Eucharistiæ sumptionem, deque illa extat in l. 5. Decretal. titulus 34. In decreto causa 2. q. 4. & 15. q. 5. Vfus tamen illius hodie vix reperitur, nisi in sanctissimo violatæ religionis officio, ut Rodericus testatur Tom. IV. tit. 13. c. 3. De Flandria loquens Damhouderus c. 44. sæpè illa uti Curias spirituales ait, & illarum imitatione aliquando etiam tribunalia secularia. Lancciot. l. 4. instur. tit. 2. Canis. l. 4. tit. 20. Silv. V. Purgation. 1. Bern. Diaz. in Praxi. c. 150. Maranta. p. 213.*

**III.** Canonica Purgatio, vel ultro suscipitur, & expetitur, vel à Iudice indicitur tam laicis, quàm clericis, illis potissimum, qui de crimine aliquo non convicti testibus, propria confessione, vel ipsa facti evidentia, sed tantum infamati sunt apud honestos viros. Addit Rodericus etiam propter notam irregularitatis institui posse.

Cæterum (quod pro hac, & aliis materiis bene notandum) ut infamatus quis censeatur, non sufficit, quod duo, vel tres

testes dicant, se vidisse crimen patrari, sed necessarium est, ut rumor ad maiorem Congregationis partem pervenerit, eamque non semel, sed sæpè audierit superior. c. qualiter. & quando. de accus. S. Thom. 2. 2. q. 69. c. 1. Caiet. ibi. In dubio autem prudentis viri iudicio relinquitur. *Pract. Ferr. §. Forma positionum. pag. 118. ibi Roland. consil. 30. n. 9. Farinac. in Praxi crimin. q. 9. n. 7. Less. c. 29. dub. 15. Maranta parr. 6. tit. de Inquisitione n. 19. & seqq. Barb. in c. Inquisitioni, de accusationib. Torreblanca l. 3. demonol. c. 17.*

**IV.** Modus instituendæ Canonice purgationis ferè talis est. Qui de crimine aliquo, hæresi, exempli gratia, suspectus est, cum suis compurgatoribus, (horum numerus à iudice determinari solet) comparens coram iudice manum super Codicem Evangeliorum ponit, ac genibus flexis dicit. Ego N. iuro super ista Dei quatuor Evangelia sacrosancta quod talentum resini (exprimendo eam) de quam sum diffamatus, nunquam tenui, nec credidi, nec docui, nec teneo nec credo; negabisque cum iuramento id, de quo est infamatus. Similiter Compurgatorum quilibet iurabit Ego N. iuro super ista Dei quatuor Evangelia, quod credo ipsum verum iurasse. *Franc. Leo in thesaur. Eccl. part. 7. c. 37. Roderic. tom. IV. tit. 23. c. 3. Vallens. l. 5. tit. 34. §. Ea fit hoc modo.*

**V.** Episcopi diffamati purgantur præstito iuramento super corpus alicuius sancti. c. Mennam. c. Quanto 2. q. 4. vel super dicta Dei Evangelia, adhibitis etiam compurgatoribus, de quibus in c. Quoties frater. ead. q. 4. Sacerdotes cum septem sociis, Diaconi cum tribus eiusdem ordinis iuramento in sacrosancto Evangelio coramposito purgantur. c. Si legitima. & c. præ.

*c. presbyter. ead. quest. 4. & ad præscriptam formam, de qua in c. Omnibus vobis ead. Q. Barb. in c. Quoties cit.*

VI. Purgatio per Sacram Eucharistia sumptionem in casu furti olim permessa Monachis, ut fratres se expurgarent, accipiendo corpus Domini ab Abbate, vel alio celebrante, ac dicente: *Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem c. 23. ead. Q. modo reprobanda est, quia suspectis non est danda Eucharistia. Gloss. in cit. c. Sape.*

Quomodo autem prædictam purgationem Pontifices aliquando Imperatoribus de fide suspectis obtulerint & exegerint, invenies apud Franc. Leonem in thesauro Eccl. part. 3. c. 37. n. 24.

VII. In compurgatoribus requiruntur ista. *Primo*, ut iurent secundum conscientiam suam de innocentia suspecti. *Secundo* ut sint eius notæ, quos Ecclesia approbare, & admittere solet. *Tertio* ut illam famam habeant. *Quarto* ut non fuerint de eodem crimine damnati, *Quinto* ut sint vicini, vel habeant conversationem cum eo qui purgantibus est. *c. Cum dilectus 11. de purg. Can. Vallens. loc. cit.*

Addit Roder. l. cit. 1. assumendos esse ejusdem ordinis, quando fieri potest. 2. mulieres quoque admitti. 3. requiri minimè suspectos de amore, odio, avaritia & similibus vitiis, à quibus periculum sit corrupendæ fidei, & veritatis. 4. numerum quod attinet, arbitrium esse. 5. idoneos compurgatores reici non posse à iudice. *Tholos. l. 48. c. 15. Torreblanca l. 3. demonol. c. 20. Rosella V. Purgatio.*

VIII. Effectus Canonice Purgationis est absolutio. Nam qui suam innocentiam prædicto modo demonstravit, absolvendus est, ab eo crimine, de quo

agebatur. *c. Ex tuarum. de purg. Can. & ibi D. D. communiter.*

Qui autem defecerit, vel quia præscripto modo non iuravit, vel quia idoneos compurgatores non adduxit, vel quia minori, quam iudex præcepit, numero sunt: vel denique si iuramentum recuset, ut convictus damnari, & condigna pœna affici potest, ac debet. *c. Cum Manconella c. Inter sollicitudines de purg. Can. Mitius autem agendum erit, quando per viam inquisitionis proceditur, quam quando per accusationem. Neque enim ordinaria, sed arbitraria pœna punietur, V. Roder. & Barb. l. cit.*

IX. Consulunt denique periti, quia Canonica purgatio admodum periculosa, multisque malis obnoxia est, non facilè indicendam, sed alia potius media adhibenda esse. Tutius est, ait Pegna ad alias pœnas aliaque remedia confugere. Quam ob causam crediderim, hoc tempore vix in usu esse, vel apud Ecclesiasticos, vel apud Regulares. Iure merito, ait Spatharius in *Methodo tract. 3. c. 12. de Iudice Regulari* ab universo orbe Christiano Canonica purgatio est abolita, nec eius nomen quidem auditur inter ipsos religiosos. Nam infamia sæpe sapius fallax est secundum Panorm. in *c. Cum insuper. de confess. & accidit sæpissimè, ut temerarii quidam homines ab omni pietate, & religione Christiana alieni ex levibus coniecturis & indiciis gravia, & enormia scelera suspicentur inque vulgus spargere cum magno animarum suarum, & aliorum famæ detrimento*

non erubescant.

ad

TIT.